

## Præfatio ad DD. Auditores.

**D**UDUM expetivisti, DD. Auditores, à me meas Institutiones num Justinianearum ad principia Juris practici reductas- rum, nec non cum Jure patrio pro modulo meo collata- rum quales quales prælectiones superioribus annis habitas; Ter- ruit me quidem primâ fronte & ferè absterruisset, quod Tantus Mantzius in præfatione ad inst. de suo nunquam tatis deprædicando opere vaticinatus est vaticinium: *Plura adhuc eventura predi- cere possem, è quibus id solum addo, tot me censores habiturum, quo<sup>t</sup> lectores;* Nisi me hoc unicum exstimalâsset, designaturos suâ lectione & censurâ hunc meum libellum veterans, relinquendâsque esse pagellas meas principiantibus. Manum itaque quan- tum per proximas autumnales ferias à Clientum patrociniis, qui- bus non rarò distentus fui, vacare mihi licuit, lucubrationi ap- plicui, ratus, Mandato D. Imp. Justiniani in §. 2. Inst. de J. & J. commodissimè satisfactum iri, si Jura populi Romano-Germanici pri- mò levi & simplici viâ, & post deinde exactissimâ interpretatione traderentur, nec non exponeretur, & quod antea obtinebat, & quod postea desuetudine in umbratum Imperiali remedio illuminatum est. Hoc præcipiente Imp. in præm. §. 5. Modo scribendi utor plano, & brevi, neglecto verborum strepitu; definitiones & descriptiones plerumque retineo Justinianeas, nisi ubi Imperii nostri mutata facies alias requirit; authoritatibus nitor tum clas- sicorum quotidianorum, tum, ubi materiæ dignitas hoc exigit, gravium Doctorum practicorum Germaniæ; à cumulo authori- tatum & legum farragine consultò abstineo, textus punctuales tantum allegando; procedo per illationes & Corollaria, ut me- moriæ sim ministerio; Sententias si non textu, saltem ratione à viris practicis probatâ firmo; ob temporis tamen angustias, &, ne leges compendii excedam, opiniones meas saepius non evacuo; sed easdem coram discutiendas nonnunquam mihi reservo eâ spe fretus & fiduciâ, me mentem ope D. Virginis Deiparæ hac methodo, si non proximè, saltem eminùs assecuturum. Vos in- terim DD. Auditores labore meo utamini fruamini, & cum nihil humani à me abesse putem, lapsibus ignoscite, & valete.

Prog.